


LVNÆ DIE 16 M. APRILIS A. 2012

A.d. XVI Kal. Maias a. MMXII

I 6 7

# M E L L I S S A



## FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



# ANIMI CVLTVRA

## TERRA BRASILIS

– scripsit Gaius Licoppe –

Sic intitulatur una e compluribus exhibitionibus Anno 2011 institutis a societate «Europalia international», quæ iam ab anno 1969 culturales mundi divitias facit notiores.

Hoc anno Europalia constant ex amplius 600 celebrationibus, quæ sunt exhibitiones, concentus musici, spectacula saltationis, theatri et cinematei, ad Brasiliam spectantibus; pleræque in Belgica habentur, sed etiam in vicinis civitatibus, Francogallia, Nederlandia et Germania.


«Europalia Brasil» Bruxellis inaugurata sunt in Palatio Bellarum Artium die 4 m. Octobris a Rege Alberto II et Brasiliæ præside, domina Dilma Rousseff.

Ipsæ unam tantum exhibitionem lustravi, c.n. «Terra Brasilis», Bruxellis instructam in ædibus argentariæ ING ad Plateam regalem situs. Cum mecum interrogarem cur hoc nomen datum esset exhibitioni, paulatim comperi id primum fuisse nomen a Portugalis datum huic Americæ meridionalis parti, quæ postea vocata est Brasilia; quod patet ex charta geographica anno 1519 a chartographo Portugalis regis Emmanuelis I (v. Manuel I), Lopo Homem vocato, in pergamena delineata, quæ nunc servatur in Bibliotheca Nationali Francogalliæ (*atlas Miller*).

Cur autem «Brasilis»? Scire oportet Medio Ævo ex India importatum esse lignum singulare, quod contritum fiebat pulvis coloris rubri magni pretii. Prima autem res pretiosa, quam Portugalis in hac Americæ

regione invenerunt, fuit abundans lignum idoneum ad faciendum eundem colorem rubrum; qui color aspectum præbet prunæ, i.e. *brasa* lingua Portugalensi, unde ducitur adiectivum Latinum *brasilis*. Hoc comperto, tandem intellexi cur in exhibitionis ædibus omnes columnæ hoc ligno indutæ essent.

Portugali litus Brasiliense primum fortuito tetigerunt die 22 m. Aprilis anno 1500, cum Petrus Alvarez Cabral, dux eorum secundæ classis ad Indiam navigantis, viam magis occidentalem per oceanum Atlanticum elegisset quam prior et omnium primus Vasco de Gama. Cabral tamen non primus appulit in Brasiliam; nam nonnullis mensibus ante Vincentius Pinzon Hispanus ancoram iecerat in Amazonii æstuario hancque terram regi Hispaniæ vindicaverat.



Classis Petri Alvarez Cabral constabat ex 9 huiusmodi caracis<sup>1</sup> et 2 caravelis (Wikipedia).



In hac charta geographica chartographi Lopo Homem a. 1519 edita apparet nomen «terra Brasilis» et monstrantur indigenæ pretiosum lignum «brasil» ('pau brasil' lingua Portugalensi) colligentes.

Cabral invenit hanc ignotam terram sitam esse in orientali parte orbis, qui foedere a Tordesillas<sup>2</sup> vocato divisus erat certa linea meridiana; cum omnes terræ ab hac linea ad orientem versus sitæ Portugalis tributæ essent, Cabral hanc novam terram suo regi sollemniter vindicavit ibique magnam erexit crucem.

Unam navem in Portugaliam remisit cum epistula regi Emmanueli I destinata, quam conscripserat Pero Vaz de Caminha. Hæc epistula maximi est momenti, quia unum est ex tribus tantum exstantibus testimoniis primi occurus Portugalorum cum indigenis. His verbis in epistula describuntur autochthones: «Cutem habent cyprini coloris ad rubrum vergentis, pulchram faciem et formosum nasum. Omnino nudi sunt et sine verecundia veretrum ostendunt».

Brasiliæ gentes victum facile inveniebant venando pomaque legendo; feminæ parvos hortos colebant; cum terra exhausta erat, tota tribus ad novum locum migrabat. Hic vivendi modus in Europa iam ante com-

plura millennia disparuerat. Indigenæ usum metallorum ignorabant; solum aurum nativum adhibebant in ornamentis. Pacificæ et benevolenter acceperunt Portugaliæ navigatores; inter se tamen tribus bellum gerebant et nonnullæ erant anthropophagæ, id quod expertus est Hans Staden, miles Germanus; is enim, captivus tribus Tupinamba, comesus esset, nisi aufugere valuisset. Hoc narrat in opere anno 1557 edito, c.t. *Warhaftige Historia und beschreibung eyner Landtschafft der Wilden Nacketen, Grimmigen Menschfresser-Leuthen in der Newenwelt America gelegen* (Veridica historia et descriptio regionis in Novo Mundo America sitæ ubi vivunt homines feri, nudi, crudeles et anthropophagi).



Imago deprompta de opere militis Hans Staden, 1557 (Wikipedia).

Initio Portugali novam suam terram Americanam non curaverunt; nimis enim occupati erant in India, ubi emporiorum creatio non fiebat sine proeliis cum Arabibus, qui monopolium pretiosarum mercium servare volebant.

Interea alii Europæi naves applicuerant ad terram Brasilianam. Inter eos Francogalli in sinum postea a flumine Ianuarii vocatum anno 1555 coloniam deduxerunt, cui nomen dederunt Francogalliam antarcticam; propositum erat ut illic Hugenos recipere, qui in ipsa patria persecutionem patiebantur. De hac colonia rettulit Andreas Thevet, regis Francogalliæ cosmographus, in opere anno 1557 edito, c.t. *Les singularités de la France antarctique* (De Francogalliæ antarcticæ singularitatibus), ubi multa narrat de moribus indigenarum Tupinamba, qui sunt anthropophagi.

Ab anno 1530, cum Portugali novam terram Americanam occupare statuerunt, in Portugalia tantum vivebat unus incolarum milio; quare sibi multos Italos, Flandros et Germanos adiunxerunt. Eodem anno condiderunt Bonaeropolin (*Buenos Aires*) et Assumptionem (*Asunción*); sine mora operam dederunt ad alios



Imago deprompta de libro Andreæ Thevet, 1557 (Wikipedia).

Europæos colonos vi militari expellendos. Sic Francogallia antarctica quinque tantum annis post conditionem disparuit; eius loco Portugali anno 1565 condiderunt *São Sebastião do Rio de Janeiro*.

Quot fuerint indigenæ in Brasilia cum advenerunt navigatores Europæi, incertum est; computatio variat inter 5 et 15 miliones. Sat multi perierunt, quia non assuefacti erant morbis Europæis innocuis, sibi autem letalibus; alii servitatem tolerare non potuerunt; ceteri, qui neque regem, neque instituta, scripturam, valida ædificia habebant, quibusque ne Deus quidem videbatur esse, Europæis in terras progredientibus resistere non valuerunt; reliqui se commiscuerunt cum immigrantibus Europæumque vivendi modum assumpserunt; paucissimi, in Amazoniæ silvis conditi, traditum vivendi modum adhuc servant. Cum Portugali extentos agros colere cœperunt, operariis eguerunt, at indigenæ laborem impositum vix toleraverunt. Itaque servi ex Africa importati sunt; usque annum 1850, quo hoc commercium vetitum est, 5 circiter miliones Africanorum servorum in Brasiliam advenerunt. Etiam fere 5 Europæorum miliones illuc immigraverunt. Hodiernus ergo populus Brasiliensis est mixtura harum trium humanarum stirpium; nunc solum superest minima pars purorum nigritarum.

Exhibitio «Terra Brasilis» præcipue spectat ad Brasiliæ faunam et floram, sed etiam ad effectus earum inventionis in Europæis civitatibus. Nonnulla vegetalia e Brasilia oriunda nunc in aliis orbis regionibus coluntur, etiam remotissimis.

Ananasa<sup>3</sup> est succulentus fructus plantæ herbacæ, quæ ante Europæorum adventum crescebat in Brasilia et insulis Antillis. «Ananasa» ducitur a vocabulo indigenarum Tupi-Guarani *nana nana*, quo significatur fragrantia fragrantiarum; magni enim ab eis æstimabatur. Etiam vocabatur nux pinea Indica, propter similitudinem cum pini nucle (Angl. *pineapple*). Portugali eius culturam in Indiam et Indonesiam primum induxerunt; serius in insulas Havaianas et Africam æquatoriam ab Europæis importata est.

Anacardium (hoc neologismo botanistæ significare



voluerunt «cor inversum», propter huius mali formam) est parva arbor ex America meridionali oriunda, cuius fructus est duplex, nux anacardii (Fr. *noix de cajou*; Angl. *cashew*) et malum anacardii; ambæ partes sunt esculentæ. Nomen *cajou* vel *cashew* ducitur e vocabulo Tupi *acaju*. Portugali hanc arborem in Africæ regiones tropicas importaverunt, ubi nunc maxime colitur. Deinde anacardium etiam in Indiam et Asiam Orientalem et Meridionalem importatum est.



*Anacardium medicinale*; delineatio deprompta ex opere Francisci Eugenii Köbler, *Medizinal-Pflanzen*, 1887 (Wikipedia).

Herba *mate* (Hisp. *yerba maté*; bot. *Ilex Paraguariensis*) vocantur folia parvæ arboris Americæ meridionalis, quæ exsiccata et igne torrefacta in pulverem rediguntur. Qui pulvis in aquam calidam infusus vocatur thea Paraguaïæ sive Iesuitarum; nam illi intra duo sæcula, quibus in Paraguaia manserunt (usque 1770), primi huius arboris culturam instituere valuerunt. Indigenæ huius herbæ vim excitatoriam iam invenerant, quæ tribuenda est minimis partibus cafeini, theo-

phillini et theobromini, etiam in cafea et thea præsentibus.

Manioca (bot. *manihot esculenta*) est arbuscula e Brasilia oriunda; eius radix præsertim esculenta est, unde indigenæ scite faciebant quoddam farinæ genus; radicis enim cortex est venenosus. Nomen oritur e vocabulo indigenarum Tupi *manioch*. Iam sexto decimo sæculo Portugali maniocæ culturam in Africam induxerunt, ubi præcipuus cibus multarum gentium facta est; in Asia quoque postea multum culta est. Ex maniocæ amylo formari possunt minimi globuli esculenti, qui *tapioca* vocantur; hoc vocabulum lingua indigenarum Tupi et Guarani significat «residuum exsiccatum».

Tabacum (bot. *Nicotiana tabacum*) est planta herbaea ex America media oriunda, quam Christophorus Columbus ibi invenit et cuius specimina ad Hispaniæ regem, Carolum V, misit. In Brasilia quoque indigenæ eius folia fumificabant. Illo brevissimo tempore (1555-1560), quo exstitit Francogallia antarctica, Andreas Thevet his foliis nomen dedit *pétun*, e vocabulo indigenarum Tupi *petyma*, *petyn*, ac copiam seminum in Francogalliam secum reportavit, ubi prope Iculismam (*Angoulême*) primus in Europa huius plantæ culturam instituit. Deinde hæc cultura tam celeriter diffusa est, ut iam medio septimo decimo sæculo ubique orbis terrarum floreret. Vocabulum «tabacum» solum exeunte sexto decimo sæculo apparuit, ductum a dialecto indigenarum Arawak, qui insulas Antillas incolebant; paulatim ubique se substituit vocabulo *pétun*. Anno 1560 Iohannes Nicot a rege Francogalliæ Francisco II in Portugalliam missus est ut legatus; ibi tabacum invenit eiusque vim sanativam expertus est. Quare tabaci pulverem ad reginam Catharinam Mediceam misit, quæ, de effectu valde gavis, eum laudibus extulit; inde tabacum vocatum est *herbe à Nicot* (herba Nicotiana) et ipsa planta «*Nicotiana*». Quod nomen Linnæus servavit in nomenclatura botanica.

Æquales nostri in bonam aut malam partem multum loquuntur de mundializatione, quæ dicitur, quam habent ut phænomenum recens. Verum, ut patet ex eventis supra narratis, mundializationem Europæi iam incohaverunt sexto decimo sæculo, cum primas naves armaverunt ad navigandum aptas in omnibus maribus oceanisque; totum terrarum orbem circumnavigare et colonias quocumque deducere cœperunt; sic plantas necnon animalia e regionibus, unde erant oriunda, in ceteras regiones importaverunt. Mundializatio maxime pendet a modis communicationis, e quibus longinqua navigatio fuit prima. Recentioribus modis, ut, in ordine, telegrapho, telephono, radiophono, navigatione aerea, televisione, denique interreti, mundializatio magis magisque accelerata est; non solum res, sed omnes quoque imagines et cogitationes nunc ubique terrarum sunt in promptu.

Notandum est in Brasilia importatarum præsertim plantarum culturam bene successisse. Certe tabacum

adhuc colitur, sed est plerumque cultura familiaris. Multo maioris ponderis in Brasiliensi œconomia est cultura cannæ sacchariferæ.

Canna saccharifera (bot. saccharum officinarum inter alias species) est tropica herba graminacea, quæ arundinis aspectum præbet et duo circiter metra alta est. Quamquam canna fera iam nusquam exstat, archæologi invenerunt eam oriundam esse e Nova Guinea, unde usque in Indiam, non certo scimus quomodo, importata est; ibi, ut videtur, primum culta est. Græci expeditionis Alexandri Magni aliquid de ea ibi compererunt; uno circiter millennio post, cum Arabes eam ex India reportavissent, coli cœpta est in omnibus regionibus circum mare Mediterraneum sitis. Portugali eam colebant et domi et in insulis Accipitrinis (*Açores*) Purpurariisque (*Madeira*); inde eam in Brasiliam iam ineunte sexto decimo sæculo importaverunt. Mirum in modum successit hæc cultura, ita ut in hodierna Brasilia cognominetur «Brasiliæ aurum viride». Brasilia maximam cannæ sacchariferæ culturam habet in toto orbe terrarum, unde facit non solum saccharum (65-70% totius mundanæ productionis), sed etiam alcohol ethylicum, quod benzino additur ad motra alenda. Res inexpectata: in toto mundo cultura cannæ sacchariferæ inter ceteras culturas maximam superficiem occupat, 23 miliones hectarearum scilicet, et gignit 23% totius massæ agricultura productæ.

Cafææ quoque maximus productor in orbe est hodierna Brasilia. Arbuscula «*coffea Arabica*» a botanistis vocata videtur ex Æthiopia orta esse, sed primum in Arabia Felici a quinto decimo sæculo culta; tunc vocabatur *cabouab*; cum Turci Othomani ineunte sexto decimo sæculo Arabia potiti sunt, rem vocaverunt *qabvé*; inde Venetiarum negotiatores eam *caffè*

vocaverunt et a septimo decimo sæculo in Europam christianam importaverunt. Portugali eam in Brasilia ab anno 1727 magno cum successu coluerunt; nunc ibi producitur longe maxima cafææ copia in orbe (35%).

Exhibitio «Terra Brasilia» etiam monstrat Brasiliæ imaginem, qualem decursu temporum Europæis finxerunt varii artifices. Sæculo septimo decimo Brasilia iam non ostenditur ut anthropophagorum terra, sed magnifice depinguntur eius plantæ et animalia singularia, necnon quattuor hominum localium typi, indigenæ sive feri sive ad nostrum cultum adducti, mixticii et nigri. Postea picturæ magis ad ficticium exotismum tetenderunt. ❧

N.B. Nisi aliter indicatur, imagines excerptæ sunt ex exhibitionis catalogo (etiam ea tegumenti).

1. Caraca vocatur magna navis duobus minimum malis prædita, quorum posterior velo triangulari instructus est, quo navis aptior sit quæ naviget contra ventum; in usu erat exeunte Medio Ævo et eius nomen originem habet Arabicam.
2. Fœdus ab oppido *Tordesillas* vocatum in Hispania pactum est anno 1494, duobus tantum annis post Novum Mundum a Christophoro Columbo inventum, quia statim necessarium visum est definire in quibus orbis terrarum partibus liceret Hispanis et Portugalis, tunc solis in maribus potentibus, commercium facere coloniasque deducere. Licentia Portugalis dabatur omnes terras in dicionem suam redigendi usque ad lineam meridianam 370 leucis ab insulis Promuntorii Viridis ad occidentem versus sitam. Hoc fœdus anno 1506 comprobatum est bulla papæ Iulii II.
3. *Ananasa* legitur in *Commentatione de Anana sive Nuce Pinea Indica*, auctore Michaeli Frederico Lochnero Norimbergensi, 1716; ex indigenarum lingua deductum est hoc vocabulum; in nomenclatura botanica vocatur ananas comosus.



Circa annum 1835 Beniaminus Mary, primus regni Belgici legatus in America meridionali, etiam erat bonus artifex, ut patet ex hac pictura; in proscenio depicta sunt varia Brasiliensia vegetalia; in remoto ad dextram adspicitur urbs Fluminis Ianuarii.

# QVÆSTIO LINGVÆ LATINÆ

– auctore Vidone de Maupassant, interprete Francisca Deraedt –

Ista «quæstio linguæ Latinæ», qua his temporibus lobtundimur, mihi in memoriam reducit historiam quandam, historiam iuventutis meæ.<sup>1</sup>

Studia perficiebam in magna quadam urbe, media in Francogallia, in instituto Robineau, in tota provincia claro ob egregiam linguæ Latinæ disciplinam.

E decem annis institutum Robineau superabat, omnibus in certaminibus, urbis lyceum imperiale necnon omnia subpræfecturarum collegia; qui continui successus debebantur, ut fama ferebat, uni custodi, simplici custodi scholari, domino Piquedent, sive, ut cognominabatur, patri Piquedent.

Erat semisenex, totus cinereus, unus ex eis quorum ætatem cernere non vales sed historiam primo intuitu divinas. Ætate viginti annorum custos factus in aliquo instituto ut litterarum studia ducere posset primum ad docendi licentiam, dein ad gradum doctoris, ita involutus erat in ea tristi vita, ut perpetuo maneret custos. Studium tamen Latinitatis non deposuerat; quo vexabatur tamquam indecora cupidine. Poetas, oratores, historicos pergebat legere, interpretari, perspicere, commentari, perseverantia insanix confini.

Aliquando ei in mentem venit omnes scholæ discipulos cogere, ne quicquam responderent nisi Latine; in quo proposito usque perseveravit, dum integrum colloquium cum eo serere valerent, tamquam si sermone patrio essent locuti.

Eos auscultabat ut symphonicorum præfectus musicos auscultat exercentes, ac identidem, mensam regula percutiens:

– Domine Lefrère, aiebat, domine Lefrère, solœcisimum dicis! Nonne legem recordaris?

– Domine Plantel, ista locutio Gallica est, nequamquam Latina. Ingenium linguæ oportet intellegere. Age, ausculata me...

Evenit autem ut discipuli instituti Robineau exeunte anno omnia reportarent præmia translationis tam Gallicæ quam Latinæ necnon orationis.

Anno postero rector, parvus vir astutus ut simius, cuius insuper faciem habebat distortam ridiculamque, in instituti libellis et præconiis et porta scribebenda curavit hæc: «Eximia studia Latina. Quinque prima præmia a gymnasii quinque classibus reportata. Duo præmia honorifica in communi Certamine gymnasiorum collegiorumque totius Gallix.»

Per decem annos institutum Robineau eodem fructu est triumpho. Pater autem meus, his successibus allectus, me ut externum discipulum misit ad istum Robineau, quem sive Robinetto sive Robinettino vocabamus, meque patri Piquedent commendavit privatim docendum, horali pretio quinquorundam francorum, quorum

bina custodi, terna rectori reddebantur. Duodeviginti annos natus eram, et versabar in classe philosophix.

Lectiones fiebant in conclavi, cuius fenestra spectabat ad viam. At pater Piquedent me non allocutus est Latine, ut in schola facere solebat, sed proprios mærores Gallice narravit. Miser homo, cum nullos parentes nullosve amicos haberet, mecum consuetudinem iniit ærumnamque suam in cor meum effudit.

Numquam, e decem quindecimve annis, cum quocquam sermonem habuerat familiarem.

– Sum, aiebat, sicut quercus in solitudine.

Alii custodes ei tædio erant; in urbe neminem noverat, cum nulla libertas ei esset homines conveniendi.

– Neque noctes, amice, et hoc mihi est molestissimum. Hoc unum cupio, cubiculum habere cum mea supellectile, meis libris, parvis rebus quæ sint meæ, quæ ceteris tangere non liceat. At nihil mihi est, nisi bracæ et iacca, nihil, neque culcita, neque pulvinus! Non sunt quattuor muri, inter quos latere possim, nisi hic œcus, cum scholas habeo. Intellegisne tu hoc, hominem totam vitam ita degere ut numquam liceat, ut numquam tempus inveniat se solum concludendi, quolibet, ad cogitandum, ad considerandum, ad laborandum, ad somniandum? Ah, amice, clavis, clavis ianuæ quam claudere liceat, hæc est felicitas, hæc est sola felicitas!

«Hic, interdiu, schola cum omnibus istis nebulonibus turbas facientibus, noctu, dormitorium cum iisdem nebulonibus, stertentibus. Ac pernocto in lecto publico, in ultima lectorum serie, cum scelestis quos custodire debeo. Numquam solus esse possum, numquam! Cum exeo, via est frequentissima, et cum fessus sum ambulando, in thermopolium intro fumatoribus lusoribusque globuli tudicularis<sup>2</sup> refertissimum. Tibi dico: hoc est ergastulum.

Eum interrogabam:

– Quin aliam rem egisti, pater Piquedent?

Exclamabat:

– Quidnam, amice mi, quid? Neque sum sutor, neque faber, neque pilearius,<sup>3</sup> neque pistor, neque tonsor. Equidem nihil calleo, nisi linguam Latinam, deestque diploma quo eam magni possim vendere. Si doctor essem, id centum francis venderem, quod nunc centum assibus; et verisimiliter minoris esset notæ, nam titulus famam sustentaret.

Nonnumquam dicebat hæc:

– Solum otium in vita sunt horæ tecum actæ. Noli tamen angere: nihil amittes. In schola enim damnum resarciam te ceteris duplo magis interrogans.

Quodam die audacius egi, et sigarellum ei obtuli.

Me primum stupens aspexit, tum ad forem conversus:

- Si quis intret, amice!
- Ergo, inquam, fumificemus ad fenestram.

Et fenestræ, quæ ad viam spectabat, incubuimus, tenuia tabaci volumina conchatis manibus dissimulantes.

Exadversum erat taberna, in qua vestimenta complanabantur: quattuor feminæ candida camisia indutæ in explicatis linteis agebant ponderosum ferrum calidum, quo aquæ vapor exhalabatur.

Tum alia quædam, quinta, latam scirpeam gerens quæ latus eius incurvabat, exiit camisias, mucinnia, lintea clientibus redditura. In limine constitit, tamquam si iam esset fatigata. Tum oculos sustulit, nos fumificantes vidit, subrisit, ad nos misit, manu adhuc libera, facetum basium, ut incuriosæ operariæ facere solent. Et profecta est, lento gradu, calceos trahens.

Erat puella viginti annorum, parvæ staturæ, aliquid macra, pallida, satis venusta, vultu faceto, oculis ridentibus sub flavis et incomptis capillis.

Pater Piquedent, commotus, murmuravit:

- Feminæ quale opus! Opus vere equinum.

Et miseritus est inopiæ populi. Eius cor ardebat sensibus popularibus; de operariorum laboribus loquebatur more Iohannis-Iacobi Rousseau, ore lacrimationibus pleno.

Postero die, cum ad eandem essemus fenestram, eadem operaria nos conspexit clamavitque: «Salvete scholastici!», blanda vocula, manu signum faciens.

Sigarellum proieci, quod fumificare statim incepit. Ceteræ tum ad ostium concurrerunt, manibus protentis, ut sua etiam acciperent.

Sic in dies paulatim instauratum est amicale commercium inter operarias vestimenta complanantes et instituti desidiosos.

Pater Piquedent spectaculum præbebat festivum. Timebat ne conspiceretur, munus enim amittere potuisset, gestusque faciebat timidos et ridiculos, ut mimus amasium agens in scæna, quibus feminæ mille basiis respondebant.

Dolosum propositum mihi in mentem veniebat. Quodam die, cum intrarem in conclave, veteri custodi submissa voce hæc dixi:

- Mihi non credas, domine Piquedent: parvulæ operariæ occurri. Scisne? Ei scirpeam gerenti. Et cum ea allocutus sum!

Verbis meis aliquatenus commotus, interrogavit:

- Quid autem tibi dixit?

- Dixit... mi Deus... dixit... te sibi placere... re vera, puto... puto... eam esse paululum amore captam...

Eum vidi pallescentem. Atque:

- Me irridet, inquit, procul dubio. Talia non eveniunt mea ætate.

Ego autem, fronte gravi:

- Quidni? Speciosus es!

Cum esset dolo meo tactus, plura non dixi.

Omni tamen die contendebam me puellam vidisse deque eo collocutum esse, adeo ut mihi denique credens basia ad eam mitteret ardentia et audacia.

Evenit autem ut mane quodam, cum institutum peterem, ei re vera occurrerem. Eam haud cunctanter appellavi, tamquam si mihi esset e decem annis nota.

- Salve, dominula. Valesne bene?
- Valde bene, domine. Gratias ago.
- Visne sigarellum?
- Oh! Non in via.
- Eam domi fumificabis.
- Tum libenter.

- Ceterum, dominula, nonne scis?

- Quidnam, domine?

- Senex, meus senex magister.

- Pater Piquedent?

- Ita est, pater Piquedent. Scis ergo nomen eius?

- Certe! Quid ergo?

- Ille te amat!

Cachinnare incepit:

- Istum iocum!

- At iocus non est. Per totum institutionis tempus de te loquitur. Equidem pignus dabo, ni te in matrimonium ducat!

Ridere desiit. Notio matrimonii severas reddit omnes puellas. Tum iterum dixit, incredula:

- Istum iocum!

- Affirmo rem esse veram.

Scirpeam ante pedes meos positam resumpsit et:

- Ergo! ait. Videbimus.

Et abiit.

Ut institutum intravi, patrem Piquedent statim allocutus sum:

- Oportet ad eam scribere; te perditte amat.

Ac longam scripsit epistulam, dulcem et teneram, plenam sententiis et periphrasibus, metaphoris et imaginibus, philosophia et academicis blanditiis, absolutum opus ridiculæ suavitatis, quod suscepi dominulæ tradendum.

Eam legit fronte seria et commota, dein murmuravit:

- Quam bene scribit! Patet eum esse educatum.

Estne verum, eum me ducere velle?

Intrepide respondi:

- Verissimum! Nil aliud appetit.

- Tum oportet me Dominico die ad prandium invitet, in Insula Florum.



Promisi eam invitatum iri.

Pater Piquedent omnibus, quæ de ea narravi, valde commotus est. Hæc addidi:

– Te amat, domine Piquedent. Et videtur honesta esse puella. Dedecet eam pellicere et postea relinquere!

Voce firma respondit:

– Ego etiam sum vir honestus, amice mi.

Mihi, fateor, nullum erat consilium. Iocus erat, scholastici iocus, nil aliud. Veteris custodis perspexeram credulitatem, simplicitatem et imbecillitatem. Delectabar nec quærebam quomodo res evenirent. Duodeviginti annos natus eram, et in collegio iam diu famam habebam scurræ astuti.

Itaque constitutum est patrem Piquedent meque ræda petitorios esse pontonem «Cauda Vaccæ» dictum, Angelam ibi esse conventuros meamque scapham conscensuros, nam eo tempore scapha mihi erat. Me eos ad Insulam Florum vecturum esse, ubi una pransuri essemus. Me enim ipsum invitaveram, ut plane fruerer triumpho; senex autem, qui propositum acciperet, ostendebat se re vera mentem amittere, munere sic in discrimineposito.

Cum ad pontonem pervenimus, ubi scapha a mane erat religata, conspexi in herba, sive potius supra altas ripæ herbas, ingentem umbellam rubram, tamquam immanem rhœadem. Sub umbella nos exspectabat parva operaria sollemniter ornata. Miratus sum: erat vere lepida, quamvis pallidula, et venusta, quamquam habitu paululum suburbano.

Pater Piquedent eam capite aperto salutavit. Ea manum tetendit, et inter se taciti spectaverunt. Dein scapham conscenderunt, cuius sumpsimus remos.

Senex prior locutus est:

– Iucunda tempestas, ad ambulationem scapha faciendam.

Ea murmuravit:

– Oh! Ita est.

Manum trahi sinebat in unda, aquam attingens digitis, qui translucidam venulam sublevabant vitreæ laminæ similem. Inde oriebatur levis sonus, susurrus iucundus, ad scaphæ latus.

Cum in caupona fuimus, puella iterum compos fuit linguæ. Mandavit prandium: pisciculos frictos, pullum gallinaceum, acetaria. Nos postea duxit in insula, quam optime noverat.

Tum hilaris fuit, faceta, atque etiam satis nasuta.

Usque ad secundam mensam, de amore non est actum. Obtuleram vinum campanicum, et pater Piquedent ebriolus erat. Ipsa vino paululum gravata eum vocabat «dominum Piquenez».

Qui subito dixit:

– Dominula, dominus Radulphus te certiore fecit de sensibus meis.

Severa facta est ut iudex.

– Ita est, domine.

– Consentisne?

– Huiusmodi quæstionibus numquam respondetur!

Commotione suffocatus, perrexit loqui:

– Venietne tandem dies, quo tibi placere possim?

Ea subrisit:

– Stulte! Valde iucundus es.

– Denique, dominula, putasne nos aliquando posse...?

Puella dubitavit parumper. Tum, voce tremula:

– Hoc propter matrimonium dicis? Aliter numquam, scisne?

– Scio, dominula!

– Ergo! Convenit, domine Piquenez!

Sic illi duo passeret sibi invicem desponderunt, culpa cuiusdam nebulonis. Rem tamen pro seria non habebam; neque illi, fortasse. Puellæ dubitatio venit in mentem:

– Scisne, nihil habeo, ne quattuor quidem asses.

Balbutivit, nam ebrius erat ut Silenus:

– Mihi peculium est quinque milium francorum.

Ea clamavit exsultans:

– Tum nos collocare possimus?

Anxius factus est:

– Nos collocare quo modo?

– Quid scio, ego? Videbimus. Quinque francorum milibus multa facere potes. Num vis me domicilium in instituto tuo constituere?

Hucusque non providerat, et incertus balbutiebat:

– Nos collocare quo modo? Hoc non est commodum! Equidem nihil calleo, nisi linguam Latinam!

Ipsa cogitabat omnesque professiones recensebat, quas appetiverat.

– Nonne medicus esse possis?

– Non possum: diploma mihi non est.

– Aut pharmacopola?

– Neque hoc.

Gaudio clamavit: invenerat.

– Tum ememus tabernam condimentariam! Oh!

Quantam fortunam! Tabernam condimentariam ememus! At non magnam; quinque milibus francorum non multa facis.

Ille repugnavit:

– Nolo... Condimentarius esse non possum... Sum enim... sum... nimis notus sum... Nihil calleo nisi... nisi... nisi linguam Latinam... equidem...

At puella ei in os infundebat plenum hyalum vini campanici. Bibit et tacuit.

Scapham iterum conscendimus. Nox erat atra, vere

atra. Vidi tamen eos inter se esse amplexos compluraque dare basia.

Clades fuit horribilis. Detecto peccato nostro, pater Piquedent expulsus est. Pater autem meus, indignabundus, me in institutum Ribaudet misit ad perficiendam philosophiæ classem.

Baccalaureatum superavi sex septimanis post. Deinde Lutetiam petivi ad ius discendum; nec in urbem meam rediî ante duos annos.

Iuxta viam Serpentis, taberna quædam occurrit oculis. Legebantur hæc: «Merces colonicæ Piquedent». Et infra, ad ignaros docendos: «Taberna condimentaria».

Clamavi:

– *Quantum mutatus ab illo!*<sup>4</sup>

Ille caput sustulit, empticem reliquit et ad me manibus protentis cucurrit.

– Ah! Iuvenis amice mi, iuvenis amice mi, ecce te! Quantam fortunam! Quantam fortunam!

Quædam pulchra mulier, satis crassa, mensam deseruit inque pectus meum ruit. Eam vix agnovi, pinguis ut erat facta.

Interrogavi:

– Res bene se habent?

Piquedent ad trutinam redierat.

– Oh! Optime, optime, optime! Tria milia francorum hoc anno merui!

– Et quid de lingua Latina, domine Piquedent?


– Oh! Mi Deus, lingua Latina, lingua Latina, lingua Latina profecto non alit homines! ☞

1. Hæc fabula die 2 m. Sept. a. 1886 edita est in *Le Gaulois*. Titulus alludit ad librum, quo illo tempore multæ suscitatae sunt disputationes: Raoul Frary, *La question du latin*, Paris, Léopold Cerf, 1885.

2. Jacob Eberhard Gailer, *Neuer Orbis pictus für die Jugend*, 1835, p. 604: «Inter delectamenta et ludos, quos imaginandi vis excogitavit animi reficendi fallendique temporis causa, lusus tudicularis palmam ceteris facile præripit.» Fr. *billard*.

3. J.E. Gailer, *op. cit.*, p. 266: «Ex officina pilearii insignius aliquod capitis ornamentum prodit, pilei scilicet.» Fr. *chapelier*.

4. Verg. *En.* II 274.



## QVA TABE INTERIERIT

FRANCISCVS DRALANTIVS DOCTOR LOVANIENSIS (a. 1610)

- scripsit Theodericus Sacré -

Desiderius Erasmus cum alias de corpusculo quod Deum vexabat deque malo quo conflictabatur fusius scripsit, tum anno 1526 ad amicum verbosam, uti primum legenti videtur, de morbo suo texuit epistolam; quæ cum sit longior quam ut integra afferatur, iuvat me selectos locos exscribere hos: «Iam annis aliquot me crudeliter tractavit calculus renum nec erat parturienti, pariendi, concipiendi finis, ut mirer hoc corpusculum tot cruciatibus suffecisse. Cruciatu frequenter extorquebat vomitum; postea stomachus sedecim totos dies nullum omnino cibum recipiebat præter sorbitunculas. Et indies ingravescebat malum, tandem adeo exacerbatum ut desponderem animum: tam acerbi fuerunt nixus. Deinde mutato vino, quod tenue quidem, sed levius quam hæc sunt vernacula, ad hæc dilutum aqua ex glycyrrhiza cocta, bibere cœperam idque modice, menses aliquot eo cruciatu carui. Tandem in summa glande sentiebam quiddam quale solemus pueri, perflati vento; vulgo frigidam urinam appellant. Id suspicabar accidisse quod diutius post solis occasum confabulatus essem sub dio. Ungebam oleo camamillarum ventrem subter umbelicum – nam id solet esse remedio – nec præterea mali quicquam sentiebam. Tandem hilariter cenatus cum amicis, extra ordinem bibi dimidiatum cyathum vini Burgundiaci, dilutum aqua qua dixi. Id erat pendulum, quod postea compertum est. A primo somno reddidi lotium miro impetu viisque vehementer dilatatis, non sine cruciatu; cuius tamen sensus non erat in ilibus, ubi solet esse gravissimus, sed in vesica et virgæ musculis. Sensi magnam vim calculorum, rudrum ac materiæ cum lotio erumpere, non sine ruptura meatuum. Id factum est ea nocte plus decies, nullo tamen stomachi dolore. Eam urinam non servavi, quod doleo; matutinam servavi, lacti similem admixtis calculorum fragmentis. Materia erat gypsacea. Interea sensus erat molestissimus in vesica. Accivi medicum, unum post alterum, ac tertium, quales hic quidem habemus. Ambigebant. (...) Originem morbi divino. Iam annis plusquam viginti consuevi stans scribere nec umquam fere sedere nisi vel prandens vel cenans vel a prandio dormitans, quod interdum soleo, præsertim lassus negotiis. At interdum urgebant prela, maxime epistolæ, quas cogor innumeras scribere, ut statim a prandio fuerit accurrendum ad scribendum. (...) (...) malum hoc obortum est quod exposui. Quoniam qui stans scribit, fieri non potest quin stomacho sit aliquantum inflexo; suspicor stomachum cibum semicoctum cœpisse deicere, spiritibus alio vocatis, itaque fieri ut calculus non concreascet in magnitudinem. Fortassis natura rupit et vias aliquas, quo facilius sit transitus. (...)»<sup>1</sup>

Mirabitur fortasse quispiam, quod ea omnia particulatim enarravit Erasmus, quod in singulis tantopere constitit nec dubitavit postea eandem epistolam candidam atque ingenuam una cum ceteris selectoribus evulgare. At humanistæ, ubi de corporis – corpusculum fere quod appellabat Erasmus, non quo id magna benevolentia complecteretur, sed quia pro vilissima sui parte habere solebat et carcere – in valetudine agebatur, minime verecundari sueverunt neque pudore quoquam deterreri quominus res ita ut haberent ad amicos perscriberent, incommoda singillatim enumerarent, ægrotationes membratim, ut ita dicam, percurrerent. Itaque et Fabius ille Chisius (1599-1667) episcopus idemque nuntius apostolicus, qui postea ad summum pontificatum evectus Alexandri VII sibi delegit nomen, cum apud Germanos decumberet sectionemque ibi chirurgicam eamque aleæ plenam subisset, quibus doloribus cruciaretur qualesve et quantos calculos immissa forcipe vesicæ extraxisset chirurgus, non metuit crebris ac verbosis committere epistulis ad amicos datis, sive præsules erant sive humanistæ. Erasmus vero eo consilio nihil, uti videtur, celans corporis malum vel crudescens vel decrescens, item morbi signa, statum, cursum, effectus litteris mandavit ut se quasi præsentem sisteret absenti medico, ne quicquam prætermitteret quo morbi genus atque natura certius atque indubitatus agnosceretur, atque inde remedia potiora afferri possent. Nam Roterodamus Erasmus, etsi medicorum nobilium miras cecinit laudes (easque oratorie magis ac philosophice quam humana fretus experientia complexus est ea declamatione quam anno circiter 1500 scripsit, *Encomium artis medicæ* inscripsit, anno 1518 primum in lucem edidit publicam), haud ignoravit non ubivis esse Asclepiadum magnam copiam; eidem autem, quoniam magnatibus orbis familiariter utebatur, aditus patebat facilis ad archiatros medicosve præstantissimos; quorum ope atque arte mitigatum iri sperabat malum (nam id tolli non posse confessus est ea quam laudavi epistula).

Eodem fere modo quo Erasmus anno 1526 de se ægroto uberius dixerat, anno 1608 Franciscus Dralantius theologus, diuturna oppressus in valetudine, quam verissime exposuit quantopere morbo aliquo vexaretur atque impediretur, quibus medicamentis usus esset, quamdiu, quove effectu; namque, etiamsi ei malum in annos ita ingravescebat, ut iuvenis respirandi difficultate assidua afflictus scriptioni vix esset idoneus, sperabat tamen fore ut convalesceret si quem optimæ notæ medicum peregrinum nactus, agnita vera morbi natura, opportunum invenisset remedium. Intellegimus inde Dralantium opem a medicis

Lovaniensibus – nam in ea urbe munere fungebatur minime ignobili – frustra imploravisse; ad irritum cecidisse quæcumque medici artem ibi suam profitentes atque exercentes gessissent, veluti Thomas Fienus (1567-1631); itaque specula, si qua ei supererat, hæc erat una, mali corporei levationem aliunde iri allatum. Erat autem Dralantio iam sesquiannum collega quo uti familiariter ea tempestate cœperat, qua morbus augebatur; huic erat Erycio Puteano (1574-1646) nomen; qui apud Studium generale Lovaniense litteras publice docebat, famam consecutus quod et in locum Iusti illius Lipsii successerat, civitate Romana auctus idemque historiographi regii titulo ornatus erat, ceterum ‘mores multorum viderat et urbes’, siquidem apud Mediolanenses duo fere lustra versatus<sup>2</sup> primores eius urbis cognoverat, eloquentiam ibidem apud Scholas Palatinas publice erat professus, immo uxorem duxerat nobili e gente Mediolanensi oriundam, quæ maritum in Belgium comitata, civium Lovaniensium oculos in se coniciebat. A tanto ergo amico Dralantius, Puteano fere æqualis, petivit ut adiutor sibi esse vellet salutique suæ prospicere. Nam Dralantius quoque aliquid iam habuit existimationis apud Lovanienses. Natus enim anno circiter 1571 Alosti in urbe Flandrica, Lovanium migraverat ut artibus ingenuis duos per annos operam navaret, dein septennali, ut tum mos erat, studio sacræ theologiæ se dederet; laurea donatus ineunte anno 1600, tribus post annis creatus erat regens domus Standonicæ sive pædagogii Porci, quod inter maiora collegia artium studiosis destinata numerabatur; eodem insuper anno ad concilium universitatis admissus erat idemque a mense Augusto anni 1607 ad Februarium anni 1608, dum rectoris munere fungitur, studiorum universitatis tenuerat principatum. Quo munere perfunctus, labante iam valetudine, dum pergit regimen pædagogii Porcii sive Porcensis, repetivit studia rerum divinarum tantopere sibi dilecta; itaque sub finem anni 1609 doctor theologiæ est renuntiatus; at anno, qui est secutus, vi morbi consumptus ultimum obiit diem, qui fuit a.d. VIII Id. Dec.

Itaque Dralantius, cum rectoris munere posito graviter ægrotare pergeret, auxilii aliquid apud Puteanum repperit. Hic enim Ludovicum Septalium (1552-1633), eximium medicum Mediolanensem,<sup>3</sup> inter amicos atque patronos iam dudum habebat, qui philologum iuvenem, postquam in Italiam advenit, benigne exceperat, in primorum Mediolanensium familiaritates insinuaverat, ad eloquentiæ cathedram iuvantibus aliis promoverat, amicitiam autem ibi contractam servavit cum Puteano in Belgium revertisset; testis eius rei epistularum est commercium quod inter se habuerunt;

nam suas ad Septalium litteras (1598-1623) postea typis exprimendas curavit Puteanus, Septalianæ ad Puteanum datæ typis non excusæ adhuc servantur Bruxellæ in bibliotheca regia.<sup>4</sup> Nobilissimum ergo medicum interdum per litteras consulebat Puteanus, ut ægrotantibus amicis et familiaribus gratificaretur.<sup>5</sup> Quod et mense Octobri anno 1608 pro Dralantio ex rectore factum. Hinc fit ut quali morbo implicitus fuerit theologus quæve ei mortis immaturæ causa fuerit, coniectura colligere queamus; malum grave illud quidem ac diuturnum fuisse statim vel nos intellegimus, qui plane in arte medici peregrini sumus; quonam nomine sit nuncupandum, artis eius peritissimi, licet interiecta sint quattuor sæcula, ex ipsius ægri verbis forsitan colligant. Utcumque est, documento hoc lux aliqua affertur immaturæ Dralantii senectuti brevisque vitæ eius actui ut ita dicam supremo, qui adhuc tenebris latebat circumfusus; nil enim de obitu viri docti constabat adhuc, nisi quod ille «obiit florenti ætate, adhuc regens, 6 Dec. 1610».<sup>6</sup> At illud fortasse quæret quispiam, ecquidnam Septalium ei morbo opposuerit. Id me fateor omnino ignorare; nam scidulam eam quidem Dralantianam subiunctumque Puteani ad Septalium epistolium forte fortuna Mediolani inveni in tabulario quodam;<sup>7</sup> at Septalii responsum ad hunc diem repperi nullum. Quodsi quam ille curationem præscripsit, brevem eam et incertam fuisse opinor; nam Dralantius biennio post cum morte commutavit vitam.

MORBUS MEUS UTCUMQUE DELINEATUS  
ANNO 1608, 3<sup>o</sup> OCTOBRIS

Annus ago trigesimum octavum ætatis meæ, non sine tædio, ob afflictam valetudinem ab octo fere annis, cum primum exscreare cœpi e pectore sanguinem purum et rubrum, citra dolorem, per nudam tussim. Medici venæ sectionem præscripserunt pro revulsione<sup>8</sup> et quædam detergentia<sup>9</sup> medicamenta; quibus malum utcumque temperatum est, non sublatum, contemptui interim habitum quod leviter affligeret rariusque recurreret.

Ita quadriennium exegi eodem morbi tenore, non satis vigili cura, donec anno 1604 gravius laborare cœpi et copiosum sanguinem iteratis vicibus e pectore reieci. Cui malo ternis aut quaternis venæ sectionibus a medicis obviatum est, adhibitis etiam detergentibus quibusdam et consolidantibus medicamentis. Atque ita sanguis cessavit, sed respirandi difficultas mansit seu potius notabilis esse cœpit et etiamnum permanet, ita tamen ut vires adhuc sufficerent variis perfectionibus saltem equestribus, sat sæpe illis annis officii causa

recurrentibus. Phlegmate<sup>10</sup> interim multo assidue obrutus fui acutaque respirandi difficultate labores itineris ulterius sustinere non potui nec pedibus raptim incedere, etiam per urbem aut loca utcumque acclivia. Medicamenta parcius adhibui nec satis pro magnitudine morbi, quod doleo, vigilans fui. Medici quidam putabant asthma esse, alii defluxum<sup>11</sup> assiduum ex capite, alii phthisim,<sup>12</sup> quod magis opinabatur medicus ordinarius.

Anno 1607 sub Aprilis initium plenis velis medicamentis operam dare cœpi, usus ex præscripto medici decocto Guayaci<sup>13</sup> mixto aliis herbis pectoralibus, per sedecim fere menses, interiectis dumtaxat quattuor aut quinque diebus in singulas novas decoctiones. Verum sine fructu, nam phlegmata potius aucta sunt et respiratio difficilior reddita. Quibus fatigatus post tanti temporis intervallum, non nihil ex iudicio medici decoctum immutatum est aliudque suggestum, in quo præcipue Veronica<sup>14</sup> et Nicotiana;<sup>15</sup> quo etiam frustra adhibito, syropum<sup>16</sup> rosatum sumpsi insperso sulfuris flore<sup>17</sup> ac tandem ipsum etiam sulfur quantitate drachmæ<sup>18</sup> in dies cum ovo sorpsi. Quia rursus nausea affectus, ad syropum ante dictum recurri et etiamnum utor, quantum stomachus nauseabundus permittit. Sed hactenus sine fructu. Interim nec febricito nec macresco nec inidoneus sum sedentariis officii mei muniis, excepta scriptione.

Franciscus Dralantius, regens pædagogii Standonck

[*addidit in tergo hæcce verba Erycius Puteanus:*]  
Clarissime vir,

Tuam opem velut Æsculapii imploro. Vir bonus doctusque sic adfectus est morbumque suum trahit, vir auxilio et benignitate tua dignus. Tu aut nemo restituere valetudinem potes. Vale et me ama, qui æternum virtuti doctrinæque tuæ cultum voveo,

Erycius Puteanus. ☞

1. Cfr. *Opus epistolarum Des. Erasmi Roterodami denuo recognitum et auctum* per P.S. Allen et H.M. Allen, VI: 1525-1527 (Oxonii, 1926), num. 1759 (ad Ioannem Franciscum medicum).

2. Cfr. Roberta Ferro, *Federico Borromeo ed Ericio Puteano. Cultura e letteratura a Milano agli inizi del Seicento*, Accademia di San Carlo, Fonti e Studi, 6 (Romæ et Mediolani, 2007).

3. Cfr. Silvia Rota Ghibaudi, *Ricerche su Ludovico Settala. Biografia, bibliografia, iconografia e documenti*, Biblioteca bibliografica italiana, 18 (Florentiæ,

1959).

4. Puteanæ notæ erant Silvæ Rota Ghibaudi, at ei ignotæ Septalianæ, quæ cod. Bruxell. 19111 adservantur (septenæ sunt litteræ, quarum primæ anno 1598, ultimæ anno 1609 sunt scriptæ ac missæ).

5. Cfr. epistula Septalii ad Puteanum data Mediolano VII Kal. Aug. 1607 (servatur Bruxellæ in bib. reg., cod. 19111): «(...) scidula morbos amici tui representans; cui ut inservirem, statim uni ex discipulis meis dictavi ea quæ et ad morbi illius naturam cognoscendam pertinere videbantur et ad curationem (...)».

6. Cfr. E. Reusens, *Documents relatifs à l'histoire de l'université de Louvain (1425-1799)*, I (Lovanii, 1893-1902), p. 275; IV (Lovanii, 1886-1888), p. 94.

Dralantium etiam attigerunt V. Andreas, *Fasti academici studii generalis Lovaniensis* (...). *Editio iterata* (...) (Lovanii, 1650), pp. 137 et 257-260; P.A.

Vandermeersch, 'The Reconstruction of the Liber quintus intitulatorum universitatis Lovaniensis, 2: The Theologians, 1579-1605', *Lias*, 13 (1986), 1-67 (p. 18); B. Boule, *Academic Interests and Catholic Confessionalisation. The Louvain Privileges of Nomination to Ecclesiastical Benefices, Education and Society in the Middle Ages and Renaissance*, 35 (Lugduni Batavorum et Bostoniæ, 2010), pp. 350-357.

7. Mediolani, 'Archivio di stato di Milano', 'Autografi', 37.

8. Cfr. Stephanus Blancardus in *Lexico medico* (Halæ Magdeburgicæ, 1748 – quæ editio consuli potest in situ interretiali Mannhemiensi cui *Camenæ* est nomen), s.v.: 'sanguinis revulsio fiebat, quando humores in partem aliquam ruentes in contrariam, per venam in parte opposita vel satis remota incisam, avertabantur'.

9. Detergentia vel abstergentia iuxta Blancardum sunt quæ fluida glutinosa vel semicorrupta solida auferunt e locis quibus sua tenacitate adhærebant.

10. Phlegma est pituita.

11. Defluxus sive catarrhus est humorum ex capite ad subiectas partes defluxio.

12. Secundum Blancardum phthisis sive tabes est universa corporis consumptio, ex pulmonum vel alterius visceris nobilioris ulcere orta, cum febris lenta et continua coniuncta; quam sæpe comitantur sputa purulenta et tussis.

13. Guaiacum sive guayacum refertur ad arborem exoticam in America crescentem; eius lignum, cortex et resina in usu erant, præsertim in lue Venerea (remedium illud luis syphiliticæ esse pæne divinum scripserunt Hieronymus Fracastorius alique humanistæ).

14. Veronica planta iuxta Blancardum, qui eam fuse describit, locis petrosis et arenosis crescit; est 'Veronica officinalis Linnæana', planta nota satis.

15. Id est, tabacum.

16. Syropus (syrupus, sirupus, sirubus) quid sit ita fere definit Blancardus: 'Est medicamentum internum fluidum ex decoctis, sucis vel infusione, cum addito saccharo vel melle, in eam constantiam coctum, ut gutta in marmore non diffluet'.

17. Flos sulphuris appellantur partes sulphuris subtiliores; usus eius varius ac diversus, utputa in asthmate curando.

18. Drachma est octava pars uncia.

## DE RE ŒCONOMICA INTERNATIONALI,

DE IVSTITIA SOCIALI INTER GENTES MVNDI AC DE CALAMITATIBVS GENERI HVMANO IMMINENTIBVS

– colloquuntur Heini Kukkohovi et Samius Jansson –  
(ac personæ etiam ex Erasmianis colloquiis ludisque Plautinis interdum sermones inserunt)

Valde studia mea excitant res problematicæ globales, quæ videntur se eripuisse e gubernatione humani generis. Vel quid censetis de rebus, quas sequentibus lineis vobis enumero, cari lectores? Primum, homines sunt tam numerosi, ut iam circiter septem miliarda nostrum terram habitent.<sup>1</sup> Secundum, civitates futuræ sine petroleo, carbone et gaso subterraneo non valent tanta efficacia omnia sua proposita attinere, quam poscit vita hodierna urbana. Fomites fossiles rapidissime deminuuntur – post ca. 40 annos perparum habebimus petrolei, post circiter 100 annos etiam carbo et gasum finita erunt.<sup>2</sup> Re ipsa iam anno 2018 quinque ex mundi societatis maximis petrochemicis vendiderint totum volumen suum petrolei duabus magnis rebus publicis: Indiæ et Sinis. Nam harum rerum publicarum œconomia tam vehementer increscit, ut energiæ consumptio perintensiva earum poscat immensa volumina petrolei, carbonis et gasi intellectum humanum longe superantia. Hodie enim genus humanum quotannis devorat unum totum ‘CMO’, id est ‘cubicum milliarium olei’.<sup>3</sup> Tertium, simul aliorum animantium regiones habitandi rapide delentur, dum homines construunt urbes, regiones industriales et infrastructuram (id est, vias, ferrivias, portus, aerportus, pontes, structuram telecommunicandi et nescioquas similes res).<sup>4</sup> Hodie 32% ex amphibianis animalibus sunt in discrimine, sicut plus quam 20% ex avibus, piscibus, mammalibus et plantis. Re ipsa, secundum calculos a biologiis nuperrime subductos saltem 50% ex omnibus animantium generibus delebuntur hoc sæculo vergente.<sup>5</sup> Et quartum, præter fomites fossiles, multæ opes naturales aliæ finem mox habituræ sunt, sicut phosphorum, cuprum et ferrum. Phosphorum ad agros lætificandos e fossis exhaustum adhibetur nam terra non potest providere tanta volumina, quanta poscit agricultura hodierna. Nitrogenum lætificandi etiam sintetizatur ex subterranei gasi nitrogeno, nam nitrobacteriæ, quæ symbiotice in alnorum et plantarum fabacearum radicibus vivunt, non valent satis nitrogeni ad sumptum hodiernæ agriculturæ figere. Postquam phosphorum fossile et gasum fossile subterraneum finita erunt, vis agriculturæ hodiernæ profligabitur, quod famem globalem videlicet efficiet. Agri machinis coluntur, sed hæ machinæ poscunt multum petrolei et ferri. Ita fieri potest, ut iam post nonnulla decennia agros tam efficaciter ut hodie non valeamus colere, ergo sine petroleo idem labor iterum musculis hominum et equorum faciendus erit. Nihilominus genus humanum ducibus societatis multinationalibus mercatoriis et argentariis internationalibus (WB, IMF et WTO) cottidie auget sumptum opum naturalium, ut

œconomia mundi increscat. Quintum, clima Telluris calefit propter usum fossilium fomitum, quibus comburendis nascuntur gasa atmosphærica.<sup>6</sup> Climate calescente glaciaria polaria et montium tabescunt ac maria surgentia litorales urbes submergunt. Simul scilicet glaciariis decedentibus terra et aqua patefiunt ac calorem solis etiam plus quam antea accipiunt. Silvæ tropicales redduntur in desertas terras propter calorem et hominum industriam silvas cædendi, et agri, quibus colendis hodie alimentum nostrum accipimus et qui irrigantur aqua e glaciariis montium defluente, sicci fiunt propter penuriam aquæ. Simul cultura consuméristica Occidentalis expanditur et velocitate etiam acceleranti in omnes regiones Terræ. Itaque quodcumque in possessionem redigi et in mercatu vendi potest, consumitur, ac reliquiæ sordidæ et toxicæ deinde eiciuntur in maria, flumina et increscentia rudereta. Itaque, qualis erit mundus nostris progeniebus relictus? Penuria asperima et quam vehementibus bellis de opibus reliquis naturalibus tum manifesto laborabit mundus, cuius maria, terra et aer erunt toxicata, agri valde parum producent frumenti, cuius olim abundans biodiversitas deleta erit, et medica ars homines non iam adiuvaré poterit contra virulentos micro-organismos, et in quo mundo tunc nihilominus conabuntur vivere fortassis plus quam decem miliarda hominum, ex quibus etiam tunc sine dubio plurimi credent œconomiam mundi increscere posse in æternum et opes naturales numquam finem habituras esse.<sup>7</sup> O tempora, o mores!

Latine scripta opera de re œconomica in interrete inveni duo. Vide ab Iohanne Iacobo Gorlof anno 1838 scriptam inauguralem dissertationem œconomico-politicam *De valoris natura*<sup>8</sup> et alteram, quam Davidus Abraham Portielje<sup>9</sup> scripsit anno 1834.

*Hoc colloquium factum est a. d. VII Kal. Dec. MMXI.*

SAMIVS. Quæ es et qualis est tua familia?

HEINI. Vocor Heini Kukkohovi et Vasæ habito. Annos unum et triginta nata sum. Reliqui Vasam duodecim annis ante, sed nunc reversa sum. Studebam scientiis œconomicis in universitate Holmiæ, sed œconomista facta sum in universitate Lundensi. Ita duodecim annos versata sum in Suetia, sed interim haud brevia spatia temporis etiam aliis in rebus publicis eram, ut in India, in Sinis, in Polonia, in Unitis Civitatibus Americæ et in Anglia. His enim in rebus publicis propter officium meum versabar.

SAM. Ergo debuisti etiam immigrare in Indiam et Sinas? HEI. In Indiam et Sinas non debuisti immigrare vel potius non contigit mihi, ut immigrarem, sed illic versabar in regionibus semper plures dies, integras etiam

septimanas, interdum vero etiam menses aliquot. In Polonia quidem habitabam dimidium annum, in Anglia versabar etiam longius, novem enim menses.

SAM. Quali in societate mercatoria<sup>10</sup> opus fecisti? Quo nomine vocabatur tua officina? Aut hæcne omnia fecisti inter studia tua?

HEI. Hæc non feci inter mea studia, sed postea cum incepi scribere thesim meam magistralem, in societate œconomica, cui nomen est Capgemini,<sup>11</sup> hæc est societas ad servitia providenda, quæ consilia tradit de tecnologia informationis ac de exportatione<sup>12</sup> servitiorum. Capgemini erat prima societas, in qua officinam habui, dum ad thesim scribendo operam dabam. Et thesis mea magistralis agitur de re apactetica,<sup>13</sup> id est de servitiorum translatione ad terras remotas (*offshoring*), ut in Indiam et Poloniam. Hæc istiusmodi est methodus, qua servitia interna ab societate peregre exportantur.

SAM. Quibus de causis servitia sic exportantur?

HEI. Pluribus de causis fit, quas possum numerare, sed maxime, ut sumptus parcantur. Primo, parcantur sumptus operariorum, nam multo minore mercede opus curant illi his in terris, sed etiam operæ pretium est hac de re, qua ibi artis peritissimi longiore curriculo eruditi operarii habitant multi et facile valent servitia illa providere. Ita servitia nobis eximia qualitate providentur. Valent igitur varios processus meliores reddere, ut processus administrationis œconomicæ, operariorum et comparationis... Rerum productionem ipsa non multum inspexi, sed servitiorum mercatoriorum perita sum. Talia igitur servitia providet Capgemini.

SAM. Vultne hæc servitiorum exportatio sibi, ut operarii exauctorentur ex societatibus mercatoriis tales, qui eisdem societatibus nimis pretiosi esse videntur?

HEI. Ita vero. Infeliciter sic est. Exportatio servitiorum sibi vult societatis mercatoriæ transformationem totam, in qua eiusdem societatis rerum condicio examinatur et operarii taxantur, ut pateat, qui inter eos nobis maxime valeant virtutibusque anteferendi sint ac ubi iaceat scientiæ artisque peritia et quibus in negotiis nobis operæ pretium sit istanc collocare. Ita fieri potest, ut operæ pretium sit quædam negotia agenda inter diversas res publicas dispergere, ut optima scientiæ artisque peritia cuique negotio agendo inveniatur. Hoc haud raris casibus potest efficere, ut operarii exauctorentur. Et præcipue in rebus publicis Occidentalibus societates perfunditus sæpe transformantur.

PERIPLECTOMENVVS. *Serviendæ servituti ego servos instruxi mihi, hospes, non qui mi imperarent quibu've ego essem obnoxius: si illis ægrest mihi quod volup est, meo remigio rem gerunt, tamen id quod odios faciundumst cum malo atque ingratiis.*<sup>14</sup>

SAM. Quid censes de istis multinationalibus societatibus mercatoriis, democraticene eadem administrari tibi videntur, annon?

HEI. Hem, hæc res dependet ab hoc, cuius respectu istas virtutes democraticas perscrutamur. Huius rei

ethicam mihi ipsi explicare conata sum sic, ut hoc modo possimus æquilibrium globale efficere, nos enim sic agendo multis incolis Asiaticis, Africanis et Latino-Americanis præbemus occasionem se ipsos erudiendi, sibi ipsi munus bonum accipiendi et itinera in Occidentem faciendi et... sic in cursum honorum ingrediendi. Atqui minus democratice forsitan agamus his in rebus publicis [Occidentalibus], ubi efficimus, ut multi operarii perdant officinam suam. Sed sæpissime mercatoriæ societates, quarum administratio transformatur, pessimo statu vacillant et aliquid facere coguntur, ne naufragio œconomico delabantur, et tunc methodum exportandi persæpe suscipiunt. Condiciones œconomicæ in toto mundo re ipsa ambitum certum sequuntur, nam ubi societates in difficultatibus labantur, tum optime valent societates consultatoriæ, quæ exportandi præbent præcepta.

LYCONIDIS SERVVS. *Quamquam hic manere me erus sese iusserat, certum est, malam rem potius quæram cum lucro.*<sup>15</sup>

SAM. Ita secundum rerum publicarum politicam internam et œconomicam semper alicubi existunt apte eruditi operarii, qui haud sibi nimium mercedis poscunt.

EVCLIO. *Pauper sum, fateor, patior, quod di dant fero.*<sup>16</sup>

HEI. Hem... Ita, hoc autem, an apte eruditi operarii inveniri possint, scilicet dependet a societatis mercatoriæ propositis, sed si eadem societas sibi suscepit ambitiosa proposita et si tamen patet illam non valuisse res vendere lucrumque obtinere secundum calculos ante subductos, tunc manifesto inveniri debent rationes, quibus sumptus eius superamplificati possint contrahi. Hoc dependet ab statu œconomico mundiali et si infirmus est, emptores societati isti mercatoriæ absunt.

SAM. Ut non sit necesse servitia inde exportare, petuntne societates mercatoriæ subsidium pecuniarium umquam a rebus publicis, quarum in territoriis versantes negotia sua agunt?

HEI. Ita vero, sed ista subsidia rarissime compensant sumptus, nam sæpe agitur de globalibus societatibus. Exempli gratia quondam habui clientem societatem, cuius officina principalis sita est in Helvetia, sed in rebus publicis octo et triginta disperserunt administrationem suam œconomicam. Itaque fieri non potuit, ut una ex istis rebus publicis satis subsidii traderet totius societatis operariis vel eius usui administrandi. Et suum usum administrandi totum in Sinas conferre cupiebant hanc ob rem, ut similia servitia sic sibi providerent et similia luca vel ampliora ut antea possent sic exhibere. Ista enim societas habebat nescioquot relationes et rationes de suis negotiis passim dissipatas in variis locis et proinde nemo potuit facile intellegere, quo statu societatis istius negotiorum condiciones essent. Ita societatis mercatoriæ servitia sæpe exportanda proponuntur ad hunc finem, ut certi eius usus possint emendari. Societas, in qua officinam hodie habeo, vocatur KPMG.<sup>17</sup>

SAM. Unde venit ista nominis abbreviatio KPMG?

HEI. Infeliciter plane nescio, quibus de verbis hæc abbreviatio contracta sit, et sæpe de hac re rogavi præsidem meum et quidem eius superiorem, sed ipsi etiam nesciebant. Itaque KPMG forsitan tam vetus societas videtur esse, ut ista abbreviatio ei constituta sit nominis loco.

SAM. Estne KPMG vere societas consultatoria?

HEI. Re ipsa KPMG præcipue est societas auditoria, ita aliis societatibus providet servitia auditoria,<sup>18</sup> sed partim etiam est societas consultatoria, et ipsa opus facio in departamento consultatorio, hodie igitur non perago magna proposita exportandi, sed potius consultrix consilia trado his in rebus, quo operæ pretium sit servitia exportare, quibus sumptibus solvendis et cuius auxilio sumendo hoc fieri possit.

SAM. Ubi sita est officina tua? Hicne Vasæ?

HEI. Non est sita Vasæ, sed Holmiæ, at nunc patefacio me re ipsa officinam novam mihi petere ad Itellam, quæ est Finniæ vetus res postalis, sed Itella etiam providet servitia exportandi. Et placet mihi etiam valde Itellæ cultura mercatoria, nam non semper omnibus in rebus sumptus parcere cupiunt, sed sæpe suos operarios, qui aliter essent officio exauctorati, iterum sibi collocant.

Sic scientia, quæ aliter perdita esset, manet in societate et operarii recuperant positionem suam. Talis usus optime convenit principiis meis ethicis. Ergo mox officium suscipiam inter operarios Itellæ, ubi munus mihi erit eius reddere servitia exportandi efficaciora.

SAM. Qualia proposita tibi suscepisti, dum nomen tuum rettulisti in tabellis universitatis ac œconomicum tibi delegisti curriculum? Quid tibi videtur esse dignum petitu hac in vita?

HEI. Cupivi officio conscribi internationali. Cupivi etiam agere sub regno variarum culturarum mundi et sic me ipsam erudire, ut intellegam varios hominum modos cogitandi, nihil autem anticipavi de studia mea sequente cursu honorum futuro, sed quadam ratione ad huiusmodi quæstum eiecta sum. Advocata enim sum ad quoddam officium et tunc usus exportandi societatum mercatoriarum crescenti studio perscrutari incepi. Scientia enim se ipsam nutrit, ita quo magis de aliqua re discis, eo digniorem te ipsum esse existimas et istius rei peritum. Hoc fit modo glebæ nivis de clivo volventis. Imprimis autem cupivi accipere diploma de studiis academicis in universitate. Illud forsitan erat paulo simpliciter cogitatum, sed hodie habeo multa varia proposita et omnis dies mihi differt ab aliis. Placet mihi cum hominibus agere et varia problemata solve.

SAM. Quales methodos in tuo officio adhibes?

HEI. Ex methodis nostris aliquæ valde accuratæ sunt, e. g. admodum multum societatibus mercatoriis ratiocinamur, quibus in propositis prosit pecuniam collocare. Hac in re etiam scientia de processibus variis necessaria est, et ipsa inter alia studii administrationi œconomicæ ac etiam scribæ officium curavi numeros in computatro inferens rationesque nummarias solvens etc. Iuvat

enim talia intellegere, ut facilius sit servitia istiusmodi exportare. Ita intellegendum est, quid sibi velit societas moderator, quid autem operarius, cuius officium exportatur, quid etiam alter operarius, qui in Sinis sibi suscipit hoc vacatum officium. Ergo istiusmodi experientia maximi est momenti his in muneribus.

SAM. Nunc forsitan inopinatum quæstionem tibi proponam – meministine illius monachi, qui est frater uxoris meæ et de quo antea in Melissa iam divulgatam symbolam<sup>19</sup> scripsi? Potesne tibi vel brevissimum tantum spatium temporis animo fingere te decrevisse, ut soror intres monasterium ac de mundo decedas?

HEI. Numquam potuissem talia considerare, nam maximi momenti mihi semper fuit matrem fieri, et hæc res mihi novissima est, primam enim filiolum recenter peperit. Sin autem facta essem soror religiosa, sine dubio tale curriculum suscepissem ductrice Providentia, sed aliter Fortuna duxit me, quæ hodie carissimos habeo propinquos et familiam dilectam. Valde quidem honoro monachos et monachas, ita nescio, num quodam die aliquid talis generis faciam, sed hodie Providentia me vocat ad hanc vitam, quam nunc vivo. ☺

(Continuabitur)

- 
1. Ecce horologium increscentis populi: <http://www.ibiblio.org/lunarbin/worldpop>.
  2. Videte hunc nexum de fastigio petrolei: <http://www.peakoil.net/about-peak-oil>.
  3. De consumptione energiæ videte [http://en.wikipedia.org/wiki/Cubic\\_mile\\_of\\_oil](http://en.wikipedia.org/wiki/Cubic_mile_of_oil).
  4. Videte [http://wwf.panda.org/about\\_our\\_earth/all\\_publications/living\\_planet\\_report/demands\\_on\\_our\\_planet/footprint\\_calculations/](http://wwf.panda.org/about_our_earth/all_publications/living_planet_report/demands_on_our_planet/footprint_calculations/)
  5. Videte hunc nexum de animantium extinctione: <http://www.iucn.org/?4143/Extinction-crisis-continues-apace>.
  6. Videte relationes Intergubernationalis collegii climatis mutationem investigandi: <http://ipcc.ch/>.
  7. Videte Roberti M. Solow symbolam (1956) «A Contribution to the Theory of Economic Growth», *Journal of Economics*, Vol. 70, No.1,65-94. Illam facile reperitis in interrete.
  8. Iohannis Iacobi Gorlof opus tibi piscari potes per hunc nexum: [http://la.wikipedia.org/wiki/De\\_valoris\\_natura\\_dissertatio\\_inauguralis](http://la.wikipedia.org/wiki/De_valoris_natura_dissertatio_inauguralis).
  9. Etiam hoc opus nobis provisum est hic: [http://la.wikipedia.org/wiki/David\\_Abraham\\_Portielje](http://la.wikipedia.org/wiki/David_Abraham_Portielje).
  10. *Azienda, ditta, impresa, società* - facienda, dicta, impresa, societas. Vide etiam Reijo Pitkäranta (2001) *Suomi-Latina-Suomi -sanakirja*, ubi Finnum verbum *yritys* sequuntur Latina opus mercatorum et societas mercatoria.
  11. <http://www.uk.capgemini.com/>
  12. Adhibemus vocabulum «exportatio», «exportare» ubi in omnibus fere linguis œconomistæ tecnico vocabulo utuntur, quod est «externalisatio», «externalisare».
  13. Res apactetica: ipse vocabulum excogitavi deducens e Græca lingua, *offsboring* = ἀπό + ἀκτῆ, i.e. litus.
  14. Plauti *Miles gloriosus*, 745-748.
  15. Plauti *Aulularia*, 680-681.
  16. Plauti *Aulularia*, 88.
  17. <https://www.kpmg.de/>
  18. Servitia auditoria (*auditing*) = perscrutatio rationum, quæ ad societatis quæstum etc. pertinent.
  19. *Melissa* 164 et 165/2011.



# DE ALPHABETO

## PRÆSTANTISSIMO OMNIVM ÆTATVM INVENTO

– scripsit Paulus Kangiser Chiliensis –

Scriptura alphabetica anno millesimo a. Chr. n. inventa est a Phœnicibus, quos Romani Tyrios nuncuparunt.

Scriptura autem præalphabetica paulatim oritur ab eo tempore, quo homo Cromagnonensis valuit coloribus e terra vel plantis saxa foris et speluncas intus tingere; primo animalium hominumque figuras, deinde aliqua signa descripsit. Postea Ægyptii difficilem scripturam hieroglyphicam condiderunt atque valde obscuram iis, qui regulas scribendi nesciebant; in his enim discendis multos annos impenderes. Itaque perpauci qui legebant et scribebant habebantur apud regem dignissimi atque potentissimi præ reliquis illitteratis. Hi vero scribæ quendam clausum gregem constituebant, cui nemo accedebat nisi cuiusdam gregalis cognatus vel alia causa gregi coniunctus.

Quod cum ita esset unice perpauci ex omni populo scriptura et lectione utebantur; non solum plebecula sed etiam optimates scripti sensum rogare cogebantur. Leges vero, cum litteris mandari cœptæ sunt, non omnes intellegebant, atque iis qui interpretabantur, ampla potestas ob id ipsum tribuebatur.

Alphabetum non statim sed paulatim fructus attulit, neque tamen ab initio ipsis Phœnicibus inventibus, sed Ionicis in ea Asiæ regione, quam nunc incolunt Turci; ex Phœnicia ergo in Ioniam litteræ migrarunt; ibi Græci quattuor et viginti litteris usi sunt ibidemque Homerus sæculo – e communi opinione – octavo bellum Troianum itineraque Ulixis alphabeto nuper invento et de Phœnicibus accepto egregie cecinit; qui libri sive ab ipso auctore compositi sive ab eo, cum esset cæcus, amanuensi dictati, sive ex antiqua mythistoria collecti, magnam reformationem culturalem impulerunt unicam in Occidentem, quæ postea aliunde iterari nullo pacto potuit.

Alphabetum, quod etiam pueri tenebant, multis permisit lectionem et scripturam sine aliorum auxilio præter præceptores, nam ex eo tempore nemo litterarum privilegio fruitus est. Litteræ veterem democratiam et hæc illas fovit.

Iliadis Odysseæque et aliorum operum lectores sua vice ad scribendum adducti sunt, non solum poesim et historiam sed etiam philosophiam, quam veteres inveniendæ veritatis methodum putaverunt. Veritas vero ex sententiis diversis opinionibusque contrariis apte excogitatis evenit. Sapientiæ amor tum natus est cum Græci meditandi rationem auxerunt. Homo profecto Cromagnonensis usque ab octoginta fere milibus annorum meditationis usum habebat, at secum ipso meditabatur vel cum quodam vicino vel cognato vel familiari. Nobis Cromagnonensium heredibus scriptura alphabetica adiuvante, inventa est de rebus humanis vera phi-

losophia, cuius historia nobis veterum atque coævorum opiniones præbet; nobis quoque data est potestas in ævum futurum sententias per litteras transmittendi.

Itaque e libris vitæ culturali magna et perennis stimulatio orta est, primo in Græcia deinde in tota Europa, atque in iis regionibus ubi Alexander Magnus regnavit, qua de causa litteræ Græcæ eo quoque tempore vigerunt.

Nihil cultui civili magis propitium quam aperta honestaque altercatio de argumentis pertinentibus ad vitam, amorem, rempublicam, mortem, bellum sacramque rerum notionem. Hæc omnia, sive sint vera aut erronea, per scripturam et colligi præsentibus et possunt futuris provulgari. Librum quendam cum sumpsimus vel Aristotelis, videmus alios philosophos ab eo sæpe nominari, interdum obiectari, semper examinari, vel in Politica de Platonis Republica et de Legibus disseri (Lib. II, cap. I-III).

Ex philosophorum argumentis atque eorundem doctrinis comparatis, sive coævus sive tempore distantibus, sumere possumus humani generis mentem et notiones per sæcula vulgatas, quæ scientiarum fundamenta necessario sustinent.

Iam vero a cultura Græca imprimis deducta est Latinitas, quæ in veterem Romam radices intulit. Ibi Andronicus, qui anno 272 a. Ch. n. servus urbem ingressus est, fabulas ex Græco in scæna Latino sermone civibus Romanis tradidit; attamen scriptores Latini suam postea propriam indolem diuturne coluerunt, adeo ut in Medium Ævum litteras Latinas perducerent.

Arte typographica anno 1450 inventa, litteræ Latinæ humanissimorum hominum mentes ita colliserunt, ut Ætati Litterarum Renatarum aditum aperirent; tamen non typographia prout machina Medio Ævo finem attulit, sed veterum cogitationes argumentaque in libris tunc editis, qui novas cogitandi rationes in litteratos homines induxerunt. Indeque civitas et humanitas illuxerunt clariore luce: ut libri manuscripti in vetere Græcia mentes et argumenta foverunt, ita ars impressoria litteris renascentibus novam meditandi methodum præbuit, quo rectius cælum et terram sub alio respectu homines quodammodo aspicerent. Res itaque tunc gestæ, quæ scientiis in Europa usque ad sæculum XVIII continenter faverunt, minime accidissent nisi typographia usi essent; illam autem machinam, ignoto alphabeto, nunquam vidissemus.

Meditandi facultas, quam philosophiam vocare possumus, primum invenitur ubi scriptura alphabetica vigit; ex eo tempore Europa rebus politicis, socialibus, culturalibus, militaribus, progressa est adeo ut reliquos continentes plurima sæcula superaret. Europa scripturæ alphabeticæ filia est primigena. ☪

## DE NOVIS LIBRIS

Uvius FONTICOLA, Luciana ZIGLIO, *Gehirnjogging Latein – Exerce ingenium. Über 100 knifflige Sprach- und Denksportaufgaben*, Ismaning, Hueber Verlag, 2012, 168 p.

Nostris temporibus, quibus iuvante medicina longior fit vita humana, nemo nescit non solum corpus esse exercendum si bene vivere cupimus, sed etiam cerebrum. Itaque alii cruciverbiis, alii variis ludis et exercitiis disciplinam colunt, quæ vocatur athletica cerebralis. Quin autem plura faciamus, quin uno saltu, ut aiunt, duos capiamus apros? Hoc nobis proponunt auctores: ut non solum ingenium, sed etiam linguæ Latinæ scientiam locupletemus, et quidem magna delectatione. Noli autem, lector, de difficultate angi: insunt enim solutiones et lexicon. Et si lingua Theodisca non est tua patria, eam eadem occasione exercens tertium capies aprum!

ISBN 978-3-19-407931-1

*Lingua viva. Publicatio popularis studiosis linguæ Latinæ*, Aachen, Bergmoser + Höller Verlag, 24 p.

Primum patet hoc novum periodicum scholare, et Latine et Theodisce conscriptum, esse pulcherrimum: lauta charta papyracea, elegans paginatio, attractivæ imagines coloratæ. Argumenta tractantur et antiqua et recentissima; iucundi textus proponuntur; nec ludi desunt. Nullum dubium quin hoc instrumento didactico Germani discipuli statim percipiant quam viva sit Latinitas.

ISSN 2192-8282

Franco IDONE, Nico DE MICO (trad.), *Il ritorno di John Stone. De reditu Iohannis Stone*, Empoli, Ibiskos Editrice Risolo, 2010, 110 p.

Singularitas huius fabulæ romanicæ in eo est quod, volente ipso auctore, conscripta est quasi «quattuor manibus», id est, uno tenore est et Italice et Latine elaborata. Itaque hoc libro ambæ proponuntur versiones tamquam unum opus duplex. Auctor, medicus psychiater, non solum in nosocomiis, sed etiam in litteris animas solet perscrutari et describere; animas hominum, qui viam quæerunt et sensum vitæ suæ. Non fortuito iter incohat in deserto... Neque fortuito prima fabulæ sententia etiam est eiusdem ultima: «E si misero in cammino / Et iter susceperunt.» Latinam versionem textui fidelem conscripsit Nico De Mico, secretarius Academiae Latinitati Fovendæ.

ISBN 978-88-546-0716-3

Nico DE MICO, *Re e Santi. Studi sull'immagine del potere laico nei testi agiografici della Gallia merovingia*, Roma, Herder, Biblioteca di Cultura Romanobarbarica diretta da Bruno Luiselli, 2011, 538 p.

Hoc crassum opus philologicum et historicum incumbit in scripta hagiographica sæculorum V-VIII, in quibus auctor signa quæsitivæ potentia laicæ. Ampla et docta materia lectori offertur: primum considerantur scripta Gregorio Turonensi superiora, tum ipsius Gregorii Turonensis opera, Venantius Fortunatus aliæque *Vitæ* permultæ, quæ etiam in indicibus et bibliographia commemorantur. Hi autem omnes textus, ut auctor commentariis suis optime monstrat, permulta nos docere possunt de illis temporibus adhuc satis tenebrosis, quibus unus mundus corrui, alter difficulter exortus est. Tempora quibus reges oportebat esse sanctos.

ISBN 978-88-89670-54-5



ADNOTATIO: In Melissæ fasciculo 166 Samius Jansson scripsit in memoriam Erici Palmén. Iuxta textum positum est photographema in quo cum Erico stat Maija-Leena Kallela, collega eius proxima. Rauno Hänninen photographema mense Sept. 2011 fecit inter festum academicum «Athenis Finlandiæ».



# *In hoc fasciculo !*

- Terra Brasilis* [G. Licoppe] p. 1  
*Quaestio linguæ Latinæ* [G. de Maupassant - F. Deraedt] p. 5  
*Qua tabe interierit Franciscus Dralantius doctor Lovaniensis (a. 1610)* [Th. Sacré] p. 9  
*De re œconomica internationali, de iustitia sociali inter gentes mundi  
ac de calamitatibus generi humano imminentibus (I)* [S. Jansson] p. 12  
*De alphabeto præstantissimo omnium ætatum invento* [P. Kangiser] p. 15  
*Bibliotheca Latina* p. 16

*Imago tegumenti : Atlas Vallard, 1547 (imago excerpta e catalogo exhibitionis «Terra Brasilis»,  
Bruxellis, Espace culturel ING, 20 Oct. 2011 - 12 Feb. 2012).*

---

## *Latine loqui :*

Conventiculum Bostoniense  
28 m. Iulii – 5 m. Augusti a. 2012  
[www.conventiculum.org](http://www.conventiculum.org)

Conventiculum Dickinsoniense  
In Pensilvania, 6-12 m. Iulii a. 2012  
<http://www.dickinson.edu/academics/programs/>

Conventiculum Latinum  
Lexintoniæ, 22-29 m. Iulii a. 2012  
<http://mcl.as.uky.edu>

Feriæ Latinæ Frigoletenses  
4-11 m. Iulii a. 2012  
[www.frigolet.com/fr/vie-culturelle/feriae-latinae](http://www.frigolet.com/fr/vie-culturelle/feriae-latinae)

Linguæ Latinæ institutio æstiva  
Romæ apud Academiam Vivarium Novum  
<http://vivariumnovum.net/adextra.htm>

L.V.P.Ae seminarium Cracoviense  
[www.lvpa.de](http://www.lvpa.de)

Melissæ iter Latinum  
In insulam Cyprum, mense Septembri a. 2012.  
[www.fundatiomelissa.org](http://www.fundatiomelissa.org)

Septimana Californiana instituti SALVI  
Angelopoli, 2-9 m. Iulii a. 2012.  
[www.latin.org/programs/septimana/Latine](http://www.latin.org/programs/septimana/Latine)

Septimanæ Latinæ Europææ  
Amœneburgi, 28 m. Iulii – 4 m. Aug. a. 2012  
Frisingæ, 2-8 m. Septembris a. 2012  
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ  
In abbatia Ottiliensi, in Bavaria, 16-21 m. Iul. a. 2012.  
In oppido Theulegio, in Saravia, 12-18 m. Aug. a. 2012.  
[www.voxlatina.uni-saarland.de](http://www.voxlatina.uni-saarland.de)

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.  
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$  
BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39  
BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

